Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26404
Copyright: Admont, Benediktinerstift

49

excusso. immortalitate que sequitur cogitemus. hoc nos ostendamus esse quod credimus.
ut nec carorum lugeamus excessum. et cum arcessionis propriae dies venerit. In
cunctanter et libenter ad dominum ipso vocante veniamus. Quod cum semper faciendum
fuerit dei servis. nunc fieri multo magis debet. corruente iam mundo. et
malorum infestantium turbinibus obsesso. ut qui cernimus coepisse iam gravia. et scimus
imminere graviora. lucrum maximum computemus si istinc velocius recedamus.
Si in habitaculo tuo parietes vetustate nutarent. tecta desuper tremerent.
domus iam fatigata. iam lassa. aedificiis senectute labentibus. ruinam proximam mina
retur. nonne inde omni celeritate migrares. Si navigante te. turbida et procellosa
tempestas fluctibus violentius excitatis praenuntiaret futura naufragia. nonne
portum velociter peteres. Mundus ecce nutat et labitur. et ruinam sui non iam senectu
te rerum sed fine testatur. et tu non deo gratias agis. non tibi gratularis. quod exitu matu
riore subtractus. ruinis et naufragiis et plagis imminentibus exuaris. Conside
randum fratres dilectissimi et identidem cogitandum. renuntiasse nos mundo. et tamquam hospites
et peregrinos hic interim degere. amplectamur diem qui adsignat singulos domi
cilio suo. qui nos istinc ereptos et laqueis secularibus exutos. paradyso restitu
it et regno. Quis non peregre constitutus properaret in patriam regredi. Quis non ad suos na
vigare festinans. ventum prosperum cupidius optaret ut velociter caros liceret amplec
ti. patriam nostram paradysum computemus. patriarchas habere iam coepimus. quid non pro
peramus et currimus. ut patriam nostram videre. ut parentes salutare possimus. Magnus
illic nos carorum numerus expectat. parentum. fratrum. filiorum frequens nos et copi
osa turba desiderat. iam de sua incolumitate secura. adhuc de nostra salute sol
licita. Ad horum conspectum et complexum venire. quanta illis et nobis in commune laeticia
est. Qualis illic caelestium regnorum voluptas sine timore moriendi. et cum aeterni
tate vivendi. quam summa et perpetua felicitas. illic apostolorum gloriosus chorus.
illic prophetarum exultantium numerus. illic martyrum innumerabilis populus ob
certaminis et passionis victoria coronatus. illic triumphantes virgines quae
concupiscentiam carnis et corporis continentiae robore subiecerunt. illic remunerati
misericordes. qui alimentis et largitionibus pauperum iustitiae opera fecerunt. qui do